

NALDI (Naldo)

ALPHEUS (181 vers)

v.1 Quamvis nostra tibi veniat modo, Cosme, Camena
 2 heu, Medicum tantis consurgens molibus impar,
 3 posseque diffidat ludens tua dicere facta,
 4 qualiscumque tamen, Tuscam dum protinus urbem
 5 incolet, hic cives inter versata modestos,
 6 te canet in triviis, te tota semper in urbe
 7 audebit verum Patriae dictare Parentem.
 8 At si quando captus amoeni ruris amore
 9 invisam valles Arni montesque propinquos,
 10 agrestes Cosmum silvas resonare docebo.
 11 Usque canent humiles mecum te, Cosme, myricae,
 12 principium dabis ipse mihi finemque canendi :
 13 Primus eris nostri, tu carminis ultimus auctor.
 14 Tu modo, tu, Medices, castis nunc annue votis
 15 et dubiae rege navis iter : tu magnus Apollo,
 16 tu mihi Calliope gravibus vocitabere coeptis.
 17 Auribus interea placidis te, Cosme, rogamus
 18 Alpheum, Gnomona velis audire canentes,
 19 pastores, minimum non dedignatus honorem,
 20 simae dum viridi pendebunt rupe capellae.
 21 Jam jubar exortum noctis dimoverat umbram
 22 inque novos latum radios diffuderat orbem,
 23 Gnomoni Alpheus cum primum talia dicens
 24 incipit e Fesulo prospectans vertice pastor :

ALPHEUS

25 "De senibus dudum priscis audire solebam,
 26 ut locus hic magnis confertus cladibus olim
 27 et fuit, et multos hominum contrivit in armis,
 28 ut saepe incurvus terram dum scindit arator,
 29 enses inveniat scabra rubigine fractos.
 30 Nunc et summa quies late tenet omnia montis
 31 pascua, laetitiaque omnis gestire videtur
 32 accola, nec pestem pecori timet inde malignam.
 33 Haec ego conspicio ; tantae sed causa salutis
 34 unde sit, ignoro ; cupio tamen, et mihi numquam
 35 noscendi talis cessat de pectore cura."
 36 Dixerat Alpheus ; vos quae responderit alter,
 37 Pierides, vos haec nobis memorate, puellae !

GNOMON

38 "An ita sis bardus tu nunc, Alphee, rudisque,
 39 ut, quae non simae tantum, tua cura, capellae,
 40 sed lapides duri norint, silvaeque profundae,
 41 tu tamen ignores, humano semine natus ?
 42 Conspicis hanc oculis urbem quae proxima nostris
 43 constitit, et nitidis Arnus quam dividit undis,
 44 quae pulchro varias extollit vertice moles :
 45 illic et stupeas, fulvos ubi forte leones
 46 videris exitiumque lupis leporique salutem !
 47 Hic prope Laurenti templum sedemque Beati
 48 quam Medicum dicunt opibus consurgere magnis,
 49 ingenti constant excelsa palatia muro.
 50 Quam pulchri postes subsunt ! Quam pulchra nitescunt
 51 atria, de Fesulis late suffulta columnis !
 52 Aula sed interior regali ornata decoro
 53 cernitur : auratis pendent laquearia tectis,
 54 aurataeque trabes nitido depicta colore
 55 contexunt tabulata modis splendentia miris.
 56 Haec ego, dum caseum Florentem pauper in urbem
 57 vendendum porto, pingues dum civibus haedos,
 58 mirando plures consumpsi protinus horas ;
 59 sed locus ipse domus, quo sunt penetrabilia patris
 60 divini, quamquam late patet ille volenti,
 61 cognitus est oculis non ullo in tempore nostris ;
 62 tantus enim splendor sacro lucescit ab antro
 63 et rudibus tantus perstringit lumina fulgor,
 64 ut, nisi qui magnam paulatim cernere lucem
 65 praeparet, ipse prius doctus spectare minorem,
 66 non acies tanto possit durare nitori,
 67 ut nequit ille novum temptat qui cernere solem
 68 ni prius assuetus tremulo sit fonte tueri,
 69 quo vires minuisse suas lux magna videtur
 70 atque hebetes nobis oculos minus inde fatigat.
 71 Sed tamen e multis audivi saepe quis ille
 72 et foret et qualis manet de pectore virtus ;
 73 nam medio sedet ille senex grandaevus in antro,
 74 tam clarus cunctis hominum cunctisque verendus,
 75 ut, manibus falcem si prisca insigne teneret
 76 Saturni, queat ille deus, deus ipse videri.
 77 Hunc alii heroes circumstant undique magni,
 78 consiliisque petunt ex hoc responsa futuris,
 79 non aliter quam cum pastores Tityrus ipsos,
 80 pastorum primus Fesulis in montibus unus,
 81 convocat, et justo cunctos moderamine servat.
 82 Hic pacem dudum nobis, hic tanta paravit
 83 otia, securamque dedit traducere vitam,
 84 pro, scelus indignum ! Quin urbs, pulcherrima rerum,
 85 quae manet, ut cernis, domibus constructa superbis,
 86 culmine jam late bellis cecidisset ab alto
 87 ni deus hic, humeris suffultus moenia sacris,
 88 hinc procul, hinc propria Martem virtute tremendum
 89 pelleret, extremisque ferum religaret in oris,
 90 quo nivibus gelidis campi montesque rigescunt
 91 semper, et in nullis nascuntur gramina terris."
 92 Haec Gnomon ; caput inde movens Alpheus in altum

- ALPHEUS

93 prospiciens, inquit : - "Nimirum hic ille beatus
 94 qui prope nos condit sacras ditissimus aedes,
 95 quas habitent casta sub religione manentes,
 96 pullati Canones, et Christi numen adorent.
 97 Vah, coepi meminisse satus quo forte vir ille est
 98 colle sub hoc - Medices, miro qui captus amore
 99 visendi Fesulos, dum late armenta sequuntur
 100 pastores, nobis (o, quam mitissimus !) olim
 101 ingenti villam construxerat aere decoram,
 102 heu, modo quem tristes etiam flevere myricae,
 103 quem durae quercus crudeli morte peremptum ;
 104 quin etiam credam, si rite audita recordor,
 105 divini egregia doctum virtute parentis
 106 Hieronymo nuper sedem posuisse sacratam :
 107 durus, qui monitis etiam Gnomonis eorum
 108 vix memini, quae plura puer cecinisse solebam."

GNOMON

109 "Cur tam praesentem cunctemur dicere divum
 110 dum saturae fient arbusti e fronde capellae ?"

ALPHEUS

111 "Grandior at cum sis, Gnomon, cantare prius me
 112 incipe ; te sequar usque, diem dum claudet Olympus.
 113 Alternis ergo coeperunt versibus ambo,
 114 insigni quorum laetatae carmine Nymphae
 115 saltantes movere pedem Dryadesque puellae.
 116 Et Fesulas quaecumque colunt animalia silvas
 117 excepere sacros numeros ; quin protinus altum
 118 motavere caput vel durae robore quercus."

GNOMON

119 "Caulibus ut praestat longissima pinus in hortis,
 120 aesculus atque humiles vincit cervice myricas,
 121 ut puto, sic omnes dedit haec qui tot bona nobis
 122 exsuperat, nullis hominum virtute secundus."

ALPHEUS

123 "Ipse licet faveat silvestri numine primus,
 124 duras qui docuit cantu mitescere silvas,
 125 non queat aeternas hujus mea dicere laudes
 126 fistula, nec possit modulis aequare canendo."

GNOMON

127 "Felix, o, nimium felix, si funera nati
 128 non inspexisset, nuper quem vidimus ipsi
 129 efferris, Nymphis ululantibus ; improba quid Mors
 130 niteris aspectu sacrum temerare parentem ?"

ALPHEUS

131 "Hujus in interitu quis non dedit ore querelas ?
 132 Astra quis in tanto non dixit saeva dolore ?
 133 Oscula cum gelido figens, heu, tristia nato
 134 divelli nequit amplexu maestissima mater."

GNOMON

135 "Adde quod et tristes hac tempestate capellae
 136 faucibus exstiterant siccis, nec pabula terrae
 137 ulla dedere gregi misero, nec flumina cuiquam
 138 exstinxere sitim : tantus dolor attigit omnes."

ALPHEUS

139 "Si juvenem luget quidquid mortale peremptum
 140 nobiscum et Fesuli vel dura cacumina montis,
 141 sidera, quod teneant hunc, jam gestire videntur,
 142 Clarus et assumptum nuper laetatur Olympus."

GNOMON

143 "O, talis patrem nati satis usque beatum,
 144 erigis ingenti dum candida templa decoro,
 145 dumque focus mactas pingues castissimus agnos !
 146 Hinc tibi divinos jam nunc meditatur honores."

ALPHEUS

147 "Tu nemorum saltus curas, tu, candide, silvas ;
 148 per te maturis flavescit campus aristis ;
 149 Liber et ipse pater tibi se debere fatetur,
 150 plurima quod per te turgescit vitibus uva."

GNOMON

151 "Hoc duce pastores audent per prata juvencos
 152 ducere securi pastum, simasque capellas,
 153 nec pecori insidiasque lupi tristesque rapinas
 154 horrescunt : deus hic nobis bonus otia fecit."

ALPHEUS

155 "Rusticus et silvas donec lustrabit et agros,
 156 optabit fieri salubres dum pastor et agnos,
 157 hunc precibus vocet usque suis, huic sacra quotannis
 158 instituat Panique, sacros largitus honores."

GNOMON

159 "Quid referam nostras quantum colat ille Camenas ?
 160 Et nimis, heu, quamquam rudibus tenuive lepore,
 161 versibus exhibeat placidas mitissimus aures
 162 neve levem dubitet dignam se ducere Musam ?"

ALPHEUS

163 "Quale sibi, o Gnomon, tali pro munere carmen
 164 reddemus ? Nam si nobis armenta darentur
 165 omnia, non magis est quam si nos ille canentes
 166 dignetur, tenuem non aspernatus honorem."

GNOMON

167 "Talia, pastores, at si non possumus ipsi
 168 qualia nunc illum deceant, virgulta canemus ;
 169 alternis eadem nuper quae lusimus ambo,
 170 colle sub hoc gracili repetemus carmina voce."

171 Finierat Gnomon, cum jam nox humida currus
172 jungit equis, pastasque domum monet ire capellas.
173 Haec ego nunc lusi, tenui modulatus avena,
174 pauca, sed ingenti Medicis perculsus amore.
175 Vos, precor, haec, Musae, faciatis plurima Cosmo,
176 Cosmo, qui mundi mensuram nomine complet.
177 Si quando major nostro de pectore surget
178 spiritus, et vates non dedignetur Apollo
179 Cirrhaeos tandem me delibare liquores,
180 divinas ausus Cosmi pertingere laudes
181 temptabo currus lato deflectere campo.